

W. Nylander: Circa G. W. Koerberi Reliquias  
Hochstetterianas.

Titulo hocce D. Koerber Lichenes quosdam sibi novos descripsit. Circa eosdem, quorum typos ex collectione Hochstetteriana provenientes benigne communicavit C. von Kremphuber, animadversiones quasdam exhibere liceat. Species singulas ordine, quo expõuntur, hic consideremus; fere omnes sistunt saxicolas, ad rupes Novae Hollandiae lectas, sed absque indicatione ulla loci specialis nec collectoris.

1. „*Physcia ligulata*“ Kr b. l. c. p. 30, ad saxa arenaria in Nova Hollandia. Est omnino *Physcia parietina* europaea, a qua distingueretur „thalli colore majoreque adpressione nec non ascis sporisque minoribus“, at nullam talem differentiam detegere valeo. Mensuras sporarum nunquam affert D. Koerber; sunt in licheni, de quo agitur, longit. 0,011—14 millim., crassit. 0,007 millim., ideo exacte aequales sporis lichenis vulgaris europaeae. Gonidia diam. 0,011—16 millim.

2. „*Caloplaca fulgens*“ Kr br. l. c. p. 31 est ipsa *Lecanora cinnabarinina* Ach. L. U. p. 402, Syn. p. 176, secundum specimina ipsa archetypa Swartziana ex India occidentali (ad saxa). Thallus ei cinnabarinus vel miniato-lateritus tenuis rimoso-areolatus determinatus; apothecia aurantiaco-rubra minuta (primo impressula, dein adpressa), planiuscula, marginem thallinum integrum aequantia; sporae incolores placodinae, longit. 0,010—11 millim., crassit. 0,0045 millim. — Observetur, D. Koerber non solum l. c. errare speciem hanc tamquam novam describentem, sed etiam contendendo *Lecanoram cinnabarinam* Ach. identicam esse cum *rubelliana* Ach. Duplex error corrigendus erat. Innotuit mihi hucusque *L. cinnabarinina* Ach. tantum ex India Occidentali, Cap. Bonae Spei et Nova Hollandia; sed loca haecce longe invicem distantia vastam indigitant distributionem geographicam.

3. „*Zeora margarodes*“ Kr b. l. c. Est *Lecanora e stirpe badiæ*, ex charactere spermogoniorum, sed nulli alii speciei cognitae affinis. Sporae incolores ellipsoideae simplices, longit. 0,011—16, crassit. 0,008—9 millim. Spermatia acicularia recta, longit. 0,016—18, crassit. 0,001 millim. Facie fere est *Lecideae laevigatae* Nyl. Enum. Lich. p. 143, quae vero apotheciis differt omnino biatorinis et spermatiis longit. solum 0,005—7 millim. In *Lecanora margarode* (Kr b.) ceteroquin thallus ochroleucus.

4. „*Lecanora cypria*“ Krbr. l. c. est omnino *L. atra* var. *discolor* (Dub. Bot. Gall. p. 670). Nyl. Lich. Alger. p. 325, Prod. Gall. Alger. p. 191. Ad saxa calcarea in insula Cypro (Kotschy).

5. „*Aspicilia oreinoides*“ Krbr. l. c. p. 32. Rectius antea eundem lichenem inscriperat „*Lecidea oreinoides*“ beatus Hochstetter. Species haecce apotheciorum quidem morphosi, thalamio et coloratione gelatinæ hymeneæ addito iodo indicat se *Lecideam* sistere, nec *Lecanoram* stirpis *cinereae*; sit vero forma *Lecideae lacteae* Flk., Nyl. Lich. Scandinav. p. 230, hypothallo nigro magis praedominante quam in europaea solita. Dicenda est forma illa e Nova Hollandia, si nomine eget proprio, f. *oreinoides* (Hochst.) Sporæ ejus ellipsoideæ, longit. 0,009—0,012, crassit. 0,005—6 millim. Gelatina hymenea iodo laete coerulescens. Thallus **albus** vel albidus.

6. „*Urceolaria stictica*“ Krbr. l. c. Est vere *Urceolaria australis* antea indescriptus, thallo fuscescente vel cinereo-fuseo opaco tenui rimoso, sat determinatus vel subindeterminatus; apothecia nigricantia parva parum impressa (latit. 0,3—0,5 millim.); sporæ 8nae fuscescentes ellipsoideæ submurali-divisæ. longit. 0,023—27, crassit. 0,014—18 millim., hypothecium incolor. Ad saxa arenaria in Nova Hollandia.

8. „*Buellia fertilis*“ Krbr. l. c. p. 33. Thallus albidus tenuis sublaevigatus rimuloso diffractus subdeterminatus; apothecia nigra innata vel adnata parva (latit. 0,5 millim.), plana vel convexiuscula, margine cito evanescente, sat conferta; sporæ fuscae ellipsoideæ 1-septatae, longit. 0,010—15, crassit. 0,005—7 millim. Ad saxa arenaria in Nova Hollandia. — Accedit ad *Lecideam laevatam* Ach. Typum distinctum exprimat, thallo albido firmo rimuloso, apotheciis subinnatis parvulis copiosis, hypothecio (lamina tenui) dilute fuscescente.

9. „*Cutillaria distorta*“ Krbr. l. c. p. 33. Specimen hoc nomine inscriptum notaque „apotheciis valde irregularibus“ addita a beato Hochstetter, nulla sistit apothecia ne quidem ullum lichenem, sed pulvinulos nonnihil difformes nigricantes *Rivulariae*.

10. „*Lecidella turgescens*“ Krb. l. c. p. 34. Affinis est *Lecideae lithophilæ* Ach., Nyl. Lich. Scandinav. p. 226, at distincta apotheciis majusculis turgide marginatis. Definiatur: Thallus albidus tenuis subdeterminatus; apothecia atrosanguinea plana nuda (latit. 1—1,5 millim.), margine turgidulo nigro, intus albida; sporæ incolores ellipsoideæ simplices, longit. 0,014—18,

crassit. 0,007—9 millim., paraphyses gracilescentes, hypothecium incolor. Gelatina hymenea intense coerulescens. Ad saxa arenaria in Nova Hollandia. Spermatia acicularia, longit. 0,007—8 millim.; conceptacula spermogoniorum extus ostiolo nigro indicata, intus incoloria.

11. „*Pertusaria lophocarpa*“ Kr br. l. c. Vix differat notis constantibus et rite percipiendis vel definiendis a *P. Quassiae* Féé, nisi statione saxicola. Sporae vulgo 2—4 in thecis (sed vidi etiam 6, immo 8nas); sunt ellipsoideae, longit. 0,060—0,120, crassit. 0,034—46 millim., neque „minores quam in *P. leioplaca* omnibusque reliquis hujus generis speciebus“ (quod ubinam cepit auctor haud facile liquet). Verrucae apothecia continentes mediocres, sat obsolete colliculoso-inaequales; ostiola subincoloria vel parum visibilia. Thallus satis tenuis granulato-inaequalis vel emaciatus, versus ambitum granulato-subdispersus. Ad varietates potissime polymorphae *Pertusariae leioplacae* pertineat hic lichen, e statione et loco nonnihil mutatus. — Quoque *P. Quassiae* Féé corticolae in Nova Hollandia, ex collectione Hochstetteriana, adest forma differens praecipue sporis 4nis endosporio transversim pli- catulo.

Quae praecedunt circa species Koerberianas in commentario citato descriptas ') animadvertere haud inutile fuerit. Simul cum iisdem cl. von Kremphuber varios collectionis Hochstetteriane communicavit lichenes e Nova Hollandia; eos hic enumerandi novosque definiendi venia detur:

*Calicium robustellum* Nyl. Lich. Nov. Caled. p. 89. Thallus flavidus sublaevigatus. Sporae 1-septatae, longit. 0,009—0,016 millim., crassit. 0,005—7 millim. Ad lignum induratum siccum.

*Lecanora caesiorubella* Ach. Sporae longit. 0,011—14 millim. crassit. 0,007 millim.

*Lecanora subfuscata* var. *chlorona* Ach.

*Lecanora varia* var. *conizaea* Ach. Lignicola.

*Lecanora leucomata* Nyl. n. sp. Thallus albus tenuissimus glaucescens aut vix nisi macula alba indicatus; apothecia albosuffusa fere medioeria (latit. prope 1 millim. vel paullo minora), margine thallino crasso integro cineta; sporae 8nae incolores ellipsoideae simplices, longit. 0,010—16, crassit. 0,007—8 millim., paraphyses crassiusculae articulatae. Gelatina hymenea iodo coerulescens (thecae apice intensius tintae). Supra lignum siccum.

1) „*Blimbiat sardoam*“ Kr. Reliq. Hochstetter. p. 88, n. 7 non vidi.

Thallo et apotheciis (paraphysibus crassioribus etc.) differt ab affini *Lecanora blanda* Nyl.

*Lecanora parella* Ach. Corticola.

*Lecanora cerina* Ach. Corticola.

*Pertusaria leioplaca* (Ach.) Schär. Forma thallo albo-flavescente, thecis 4-sporis (sporis longit. 0,065—0,120 millim., crassit. 0,032—46 millim.) Corticola.

*Thelotrema lacteum* Kphb. in litt. Thallus albidus tenuis rimulosus vel rimulose diffractus subopacus; apothecia aperta albo-suffusa parva (latit. 0,5 millim. vel quidem minora) margine proprio parum prominulo et rimula discreto a margine thallino haud vel saepius parum prominulo (apothecium vulgo prominentia cingente); sporae 8nae demum fuscescentes cylindraceae 20—26-loculares, longit. 0,088—0,110 millim., crassit. 0,009—0,010 millim. iodo haud tintatae. — Ad corticem. Accedit ad *Th. cavatum* var. *dolichosporum* Nyl. in Ann. sc. natur. 4, XI, p. 242, et 4, XV, p. 45, a quo differt *Th. lacteum* apotheciis albo-suffusis, magis apertis, etc.

*Thelotrema bicavatum* Nyl. Thallus albidus tenuissimus determinatus vel macula albida obscure limitata indicatus; apothecia in protuberantiis convexulis innata, margine proprio conspicuo, a thallodeo cincto; sporae 8nae incolores oblongo-fusiformes 10—12-loculares, longit. 0,032—48, crassit. 0,007—8 millim. (iodo leviter coerulescentes), hypothecium incolor. — Ad corticem (socium *Lecanorae subfuscæ* var. *chloronae* Ach.) Differt a *Thelotremae cavato* Ach. praecipue margine apotheciorum duplici.

*Lecidea interjuncta* Nyl. Thallus dilute flavidus vel flavescenti-albidus tenuis, minute granulosus vel subleprosus, indeterminatus vel interdum evanescens; apothecia rubello-luteola vel carneo-rufa, mediocria (latit. fere 1 millim.), plana, obtusiuscula marginata (vel margine demum explanata); sporae 8nae incolores oblongae simplices, longit. 0,011—14, crassit. 0,0045 millim., paraphyses haud discretae, hypothecium incolor. Gelatina hymenea iodo leviter coerulescens (praesertim thecae ita tintatae). — Ad lignum siccum. Affinis est *Lecideae subsimili* Nyl. in Ann. Sc. Natur. 4, XIX, p. 347, sed thallo minute granuloso coloris albidioris, apotheciis planioribus, etc. Gonidia diam. 0,007—0,011 millim.

*Lecidea pelochroa* Nyl. Thallus griseus vel albido-cinereus tenuis opacus subleprosus indeterminatus; apothecia fusca sat parva (latit. 0,5—0,6 millim.), plana vel convexiuscula, immargi-

nata, saepe nonnihil difformia; sporae 8nae incolores oblongae simplices, longit. 0,009—0,012 millim., crassit. 0,0035—0,0045 millim., paraphyses haud discretae, hypothecium incolor. *Gelatina hymenea* (praesertim thecarum) iodo intense coerulescens. — Ad ramulos desiccatos. Colore, natura thalli et apotheciorum differt ab affini *L. interjuncta*. *Gonidia globulosa* discreta, diam. 0,010—16 millim.

*Lecidea interstincta* Nyl. Thallus albidus tenuis evanescens determinatus obscure limitatus (aut limite minus distincto); apothecia nigra mediocria plana marginata, intus cinerascentia; sporae fuscae ellipsoideae vel oblongae 1-septatae, longit. 0,016—24, crassit. 0,006—9 mill., hypothecium fuscum (sed parte intermedia undique, excepto centro, albo vel albo-virescente); — Ad lignum siccum. Forsan modo varietas *Lecidea disciformis*, sed lamina tenuis apothecii fere sicut in *L. grossa* Pers. *L. disciformis* quoque adest in Nova Hollandia.

*Lecidea stellulata* Tayl. Saxicola. Differt ab europaea typica apotheciis minus innatis. Sporae longit. 0,009—0,014, crassit. 0,0045 millim.

*Lecidea rimulata* Nyl. Thallus albidus sat tenuis sublaevigatus rimuloso-diffractus, hypothallo nigro-limitatus; apothecia nigra innata concoloria; sporae 8nae fuscae 1-septatae, longit. 0,009—0,011, crassit. 0,0045—0,0055 millim., hypothecium fuscum vel fusconigrum. Saxicola. Arcte accedit ad *L. stellulata*, sed differt (forte ut species) thallo haud areolato vel saltem indistincte areolato. Facie magis subsimilis est *Lecidea fertilis* (Krb.), at haec hypothallum non habet nigrantem, nec hypothecium fusconigrum.

*Graphis scripta* Ach. Corticola, thallo albo vel albido tenuissimo subdeterminato vel indeterminato.

### Botanische Notizen.

Nach Berichten von W. Nassau Lees (Tea Cultivation, Cotton and Agricultural Experiments in India) waren in Assam 13,222 Acres mit Thee angebaut und schätzte man die Ernte auf 1,788,737 Pfund. Das Publikum hat jetzt den Geldanlagen beim indischen Theebau seine grosse Gunst zugewendet, während sonst die Aktien in Calcutta um weniger als eine Rupie verkauft wurden, sind sie jetzt nur mit Mühe um 450 Rupien zu haben. 1855

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1864

Band/Volume: [47](#)

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: [Circa G. W. Koerberi Reliquias Hochstetterianas](#)  
[266-270](#)